





8815

1770, 19.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

AN

SERVITVS VSVSFRVCTVS
AMITTATVR ABVSV

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE IX. AVGVST. ANNO CIDIICCLXX.

DEFENDET

FRANCISCVS FRIDERICVS DROBISCH

NIVIMONTAN.

LIPSIAE

LITERIS RVMPPFIIS.





AN
SERVITVS VSVSFRVCTVS
AMITTATVR ABVSV.



§. I.

Est natura vsusfructus, vt, qui aliena re
vtatur fruatur, falua substantia rei vsu-
fructuariae perficiat. Excludit ergo ipsa
natura huius seruitutis *abusum* siue
abusum dicas illam *rei absumtionem*, quae in rebus fit,
quae vsu consumuntur et in quibus ex SCto tantum
quasi vsusfructus concessus sit, siue *deteriorationem physicam*
et destructionem rei vsufructuariae intelligas, siue demum
improbam et sanioribus moribus contrariam rei adplicationem
seu *moralem abusum* concipias. Semper enim vtenda
fruenda est res *boni viri arbitratu*. Neque enim vnquam
boni viri arbitrium physicum neque *moralem* rei abu-
sum permittet; et cum *boni patris familias officio* fungi
debeat



debeat, qui utitur fruitur re aliena, nec abusus physicus, nec moralis conuenit cum boni patris familias officio. Hinc quaestio moueri poterit: an, si abusus rei usufructuariae ab usufructuario committatur, cum contra usufructuarii obligationem agat, priuandus sit usufructuarius ipsa feruitute?

§. II.

Non desunt, quibus adfirmatiua placet sententia, videlicet ob abusum posse usufructuarium usufructu priuari. Magis videamus argumenta huius opinionis, quaeque pro ea defendenda dici possunt. Duci potest argumentum a locatione conductione tanquam a maiori ad minus. Negari nequit, locatorem posse expellere conductorem; si re conducta abutatur. Ita enim ANTONINVS quondam *Callimorphoniae* cuidam rescripserat in *L. 3. C. de locat. et conduct.* Verba sunt: *Aede, quam te conductam habere dicis, si pensionem domino in solidum soluisi, inuitam te expelli non oportet, nisi propriis vsibus dominus eam necessariam esse probauerit, aut corrigere domum maluerit, aut tu MALE IN RE LOCATA VERSATA es.* Iam ergo, cum locator possit expellere conductorem ob rei abusum, qui tamen pensionem propter rei utilitatem, quam percipit, soluere tenetur, imo forsitan soluit; concludere videntur, quidni proprietarius possit adimere usufructum usufructuario, qui re abutitur, quam gratis vtendam acceperat.

§. III.

Imo alio modo deduci potest argumentum ab emphiteusi. Cum enim Dd. probare soleant arg. *Nov. CXX. cap.*

cap. VIII. posse dominum, quem directum vocant, expellere emphyteutam ex fundo emphyteutario ob deteriorationem atque abusum fundi emphyteutarii, concluditur, cum similitudo summa intercedat inter emphyteusin atque vsumfructum, emphyteutae vero adeo exercitium dominii competat, non minus etiam ob deteriorationem expelli ex fundo vsumfructuario debere ipsum vsumfructuarium: cum in eo licitum sit, qui vtile dominium et sic grauius ius habet, quam vsumfructuarium.

§. IV.

Sed, sicut haec vtraque argumenta a maiori et simili causa desumpta, ita aliae adhuc superesse videntur probationes. Sic BOEHMERVS ad Pandect. L. VII. Tit. IV. §. 3. putat, vsumfructuarium amittere vsumfructum ob insignem deteriorationem, ex hac ratione, quia non videtur vti frui, qui non eo, quo debet, modo vtitur, a. L. 2. ff. de aqua quorid.

§. V.

Iam videamus, an recte. Si vel primum, quod descripsimus, argumentum, a locatione desumptum respicimus, tanta inter conductorem interque vsumfructuarium, intercedit differentia, vt a conducto ad vsumfructum concludi tuto posse, constanter negem. Conductor enim, cum rem conductam vtendam capit, possidet eam, sed cum pretium seu mercedem soluat locatori, nullam hic amplius securitatem habet. Quare, si contingat, vt abutendo rem deteriore reddat conductor, ex quo damnum consequi possit, necessarium erat, vt locatori prospiceretur atque concederetur eidem facultas expellendi





conductorem, quo saluam suam haberet rem locatam. Sed haec cum usufructuario non conueniunt, quippe, cautione usufructuaria praestita, securus videtur proprietarius, vt propter abusum haud expellere possit usufructuarium.

§. VI.

Neque maioris ponderis erit argumentum ductum ab emphyteusi. Patet enim, si ipsa verba Nou. *ci. CXX. cap. VIII.* inspicimus, non esse in ea lege generale argumentum de omni emphyteuta expellendo ob deteriorationem: sed tantum ecclesiis et venerabilibus domibus hoc beneficium datum est, vt expellere possint emphyteutam, si sua re abutatur. Sed quis ignorat, beneficia non extendi posse interpretatione aliqua, sed strictius esse interpretanda. At quid? si ex lege meliorationis, ad quam adstrictus emphyteuta, aliquando concederemus, posse expelli emphyteutam deteriorantem fundum emphyteuticarium, quis inde argumentum ducat ad usufructuarium, cui boni viri arbitrato vti frui licet, qui vero nulla lege meliorationis tenetur. Sic nec hoc argumento quidquam probatur.

§. VII.

Neque roboris maioris videtur argumentum a *Boeh-mero* excitatum. Verum quidem est, quod non videatur vti frui, qui non eo, quo debet, modo vtitur. Sed vnde illa conclusio probatur: ergo amittit vsum fructum. Concluderem potius: ergo abutitur magis, quam quod vtitur fruatur. Et iam probandum fuisset, leges poenam statuisset abusui, vt omne ius amittatur, sed id probatum

batum non est nec a Boehmero, nec ab alio quoquam. Nam *Elb.* LEONINVS de *Vsuf.* cap. XVIII. §. 14. concludit: quia usufructuarius, qui male versatur, nec vitur boni viri arbitrato, non debet percipere obventiones, nec fructus, sed potest prohiberi vit frui. Probationem petit ex *L. 9. pr. ff. de Vsuf.* et *L. 9. §. f. ff. de damno infect.* Sed sicut prior lex suae magis contraria est sententiae, ita altera nihil probat. *L. 9. §. f. de damno infect.* sic ait: *Celsus* certe scribit, si aedium tuarum usufructus Titiae est; damni infecti aut dominum repromittere, aut Titiam satisfacere debere. Quod si in possessionem missus fuerit is, cui damni infecti cavendum fuit, Titiam vit frui prohibebit, (quia sc. non satisfacderat, vt propterea in possessionem missus esset, quo ad satisfacendum cogeret de damno infecto.) Sed nec verbum in h. l. de amittendo usufructu ob abusum. Sic nihil probat argumentum Leonini.

§. VIII.

Quae cum ita sint, verior omnino contraria opinio, quam et probare videtur Gerh. NOODT. de *Vsuf.* L. II. cap. IX. cuius iam non omnia repetam argumenta, sed brevibus conficiam. Cum enim usufructuarius ideo caveat, se boni viri arbitrato, seu, quod idem est, tanquam bonum patrem familias re vsurum atque fruiturum; sequitur, si contra boni patris familias agat officium proprietarium cautione de damno dato securum esse. Non ergo amittet usufructum, sed, vt *ULPIANVS* in *L. cit. 9. princ. ff. de Vsuf.* ex *Celso* docet: cogi eum posse, recte colere. Haud vult *Celsus*, vt amittat usufructum, sed vt ad recte vitendum fruendumue cogatur. Clarius vero rem exhibet *ULPIANVS* in *L. 1. §. 5. et 6. ff. Vsuf.*
que-



quemadm. caueat. Ait: *Utilius autem visum est, stipulatione de hoc caueri, ut, si quis non viri boni arbitratu utatur, committeretur stipulatio statim, nec expectabimus, ut AMITTATUR VSVSFRUCTVS.* Habet autem stipulatio ista duas causas: *vnam, si aliter quis utatur, quam vir bonus arbitrabitur; aliam de vsufructu restituendo, quarum prior statim committetur, quam aliter fuerit vsus; et saepius committetur (sc. quoties abutitur, quod fieri non posset, ut saepius committeretur, si abusu amitteret vsumfructum) sequens committetur finito vsufructu.* Liqueet itaque, nihil contineri LL. ex quo probari possit, amitti abusu ipsum vsumfructum.

T A N T V M.




VD18

ULB Halle
007 208 200

3





8816

1770, 19.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

AN

SERVITVS VSVSFRVCTVS
AMITTATVR ABVSV

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE IX. AVGVST. ANNO CIDIICCLXX.

DEFENDET

FRANCISCVS FRIDERICVS DROBISCH

NIVIMONTAN.

LIPSIAE

LITERIS RVMPFFIIS.

